



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus  
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

# TRACTATUS SEXTUS

## DE SACRO TRINITATIS MYSTERIO.

A quæst. 27. primæ partis usque ad 45.

### P R Æ F A T I O.



**I**n ipso huius Tractatus veluti limine, cum de profundissimo Trinitatis Mystério tractare aggredior, hæc mihi triplex exclamatio merito usurpari videtur, quam & Ægyptii dum sacrificarent, suo quodam ritu, & ipsa etiam Ecclesia primis temporibus, in huius mysterii significationem usurpabat. O tenebræ, O tenebræ, O tenebræ. Quid enim hic nisi tenebræ, ubi ratio caligat, mens deficit, & ut profunde Divus Hilarius 2. de Trinitate, Etiam verborum significantiam, rei ipsius natura confumit. Quis enim capiat quomodo in hoc sacro mysterio, & processiones sint, & nullus sit motus: fluxa quodam eterno, & immutabiles: semper antiquæ, semper novæ: semper compleantur, semper incipiant: producant terminum, & non causent effectum: Quomodo personæ ut notat D. Ambrosius contra Arrianos, & ex alio sint, & non ex materia: non sint ex subjecto, nec tamen sint ex nihilo: & alio sint, & non dependant: in alio, & non recipiantur: ad aliud, & in se subsistant. Quomodo & sine corruptione sit fecunditas, & sine divisione pluralitas, & sine solitudine unitas. Quomodo deum & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate existat. Ubique sanè tenebræ, & ut dicebat Samaritana, puteus altus est? Verum in quo hauriam habeo, nimirum fidem, quæ nobis has tenebras dispellet, & veritatem, in hoc quàm in Democriti puteo occultiore, eruet. Hæc una nobis semper consulenda est, & veluti in labyrintho Dedaleo, ut nos extricemus, manu tenenda. *Enim ut rectè Ambrosius libro 1. de fide:* In ipsis Gymnasiis jam Dialectica tacet, non quæro quid loquantur Philosophi, requiro quid faciant: soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quàm fides argumentis præponderet. Illi quotidie à suis confortibus deseruntur qui copiosè disputant, isti quotidie crescunt qui simpliciter credunt: non creditur Philosophis, creditur piscatoribus: non creditur Dialecticis, creditur Publicanis.

Ceterum nedum in quo hauriam, quod ceteris commune est, habeo: sed & quod nobis peculiare censeo, habeo & qui mihi lapidem puteo superpositum, ut alter Iacob amoveat: Doctorem scilicet Angelicum & profundissimum, quem ut ubique, sic in hoc mysterio profundissimo semper sequor, utinam & mentem affecurus: ejusque non solum doctrinæ, sed etiam ordinis & methodi inherens, hunc Tractatum in quatuor præcipuas partes distribuam, & agam primò de processione Divinarum Personarum, deinde de Divinis relationibus, postea de Personis, prius in communi, deinde in particulari: ac demum de variis Divinarum Personarum comparationibus. Idque congruo ordine: cum enim relationibus constituantur Personæ, & relationes fundentur in processibus, primò istis, deinde de relationibus constituentibus, ac tandem de Personis constitutis, tractandum est: modo enim scientificus à principis sumit exordium. Sed antequam Scholasticas & Metaphysicas quæstiones, quæ circa hoc Mysterium in Scholis agitari solent, discutiamus: præcipuos Hæreticorum errores oportet hic breviter refellere, & in ipsius Mysterii veritate firmanda & defendenda, aliquantulum immorari.